

Heinrich Rudolph Redecker Gregorius Wulff

Disputatio Iuridica Inauguralis De Errore Calculi

Rostochi[i]: Kilius, 1664

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735214247>

Druck Freier  Zugang



Leidenfelder

R N für 1664.

Heinrich Rudolf Redeker, Pross. | e

Gregorius Nüßf, Resp.

mit Pross.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS = *see*
DE

ERRORE CALCULI,

Quam

Divini Numinis annuente gratia
in illustri Varniaca

Decreto & auctoritate Amplissimi Jctorum Ordinis
PRÆSIDENTE

*Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo
& Consultissimo*

DN. HEINRICO RUDOLPHO

Redeker / Jcto P. P. h. t. Collegii Juridici

Decano Spectabili, nec non Seren. Duc. Mechl:
Consil. & Consistorii Ducalis Assessore
gravissimo.

Præceptore atq; Promotore suo ætatem
prosequendo

Pro summis in Jure utroq; honoribus ac privi-
legiis Doctoralibus impetrandis

Solenni Doctorum disquisitioni submittit

GREGORIUS *Wulff* / Stargard : Pom :

Ad Diem XX. Octobris

In Auditorio Majori horis ante & pomeridianis

Rostochi, Typis Johannis Kilii, Æ ad. Typogr. 1664.



DISSERTATIO JURIS
PRAESENTATA
A
FRANCISCO
CALCULI

Universitäts-
bibliothek
Rostock



I. N. J.

D E

ERRORE CALCULI.

Thesis I.



Error est opinio falsa, qua aliud pro alio putatur & agitur. Potest autem quis errare non tantum in facto *l. 1. 6. 7. de Jur. & fact. ign. l. 2. §. 32. ff. ad Scutum Tertull. l. 9. C. ad l. Falcid.* unde alias jus desumitur *l. 1. §. 3. ff. ad l. Corn. de sic. l. 30. de Neg. Gest. l. 79. §. 1. de Judic.* sed etiam in jure *l. 1. §. Planè ff. de Aqua quot. & astiv. l. 2. de Jur. & fact. ign. l. 31. ff. de Usuc.* Et quamvis Philosophi inter errorem, ignorantiam & ne-

scientiam, quæ alias est simplex scientiæ negatio, subtilem faciant differentiam, quam etiam Jcti haud rarò attendunt, *Framzk. de cond. ind. n. 17. Hahn. ad Wesenb. de J. & f. ign. n. 1.* attamen LL. sæpè populariter loquuntur, adeoq; errorem & ignorantiam promiscuè ponunt. *l. 2. 4. 8. l. 9. §. 2. ff. de Jur. & fact. ignor.* Idem de errore & imprudentia fit judicium, nam per errorem & per imprudentiam idem sonat *l. 11. 13. 16. l. 32. §. 1. ff. de cond. indeb.* adeoq; error consulto semper opponitur *l. 26. §. 3. de R. J.*

II.

Error autem variè potest committi, & quidem, modo in Substantia *l. 9. §. 1. ff. de Jur. & fact. ign.* in Corpore *l. 4. de leg. 1.* in Re *l. 71. §. 8. ff. de Acquir. hered.* in Materia *l. 14. de contrah. Emt.* in Sexu *l. 11. eod.* in

A

Nomine,

Nomine *l. 4. C. de test. tut. l. 34. de Acquir. poss. l. 9. de contrah. emt.* in Vocabulo *l. 6. §. ult. de R.V. in Syllaba l. 54. de manum. testam.* ita modo etiam in computatione & calculo *l. 1. §. 1. ff. qvæ sent. sine appell. l. 5. §. 15. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Error autem alius est justus *l. 44. de Usucap. l. 50. de Acquir. Poss.* alius probabilis & tolerabilis *l. ult. ff. pro suo*, alius autem irrelevant, unde occasionem habuit *l. unie. C. de Error. calc.*, cujus ratio communis est, ne error præjudicet veritati *l. 6. §. 1. ff. de offic. Præs. l. fin. in fin. ff. de probat.* Ne tamen etiam rationes sæpius retractatæ lites faciant immortales *Gloss. in l. 1. C. de plus pet.* quod publicæ utilitati, juxta & naturæ rerum refragatur *l. 13. C. de Judic.* certos modos revocandi errorem calculi *d. l. un. C. de Errr. calculi.*, præscribit.

III.

Vox Calculi primitivum an derivativum, & ita, à verbo calcare, respectu originis sit, nostra parum vel omnino nihil interest, committimus illam licet illorum Grammaticorum judicio, quibus, neglectis sæpe acquirendi rerum modis, studio est, verborum se fatigare apparatus. Calculus autem nativâ suâ vi lapillum significat, unde Medici morbum denominant, quo crassorum humorum copia in calculi generationem transit. Est & ponderis minimi nomen, quod continet duo grana *Nicol. Perott. Cornuc. p. m. 1023. l. 29.* sæpe ludum latrunculorum significat de quo *Salus. in Polyh. p. m. 1130. Rosin. de Antiq. Rom.* nec minus suffragia calculis norabantur, & difficultates calculi nomine veniunt; Usitatè tamen pro rationibus calculi ponuntur, quatenus diversis calculis seu lapillis certè initur computandi ratio. Sed quia propositi ratio non permittit naturalem potius quam civilem vocis significationem indagare, ad juris usum propius accedamus.

IV.

Calculus ex legum civilium genuina interpretatione, modo denotat cognitionem causæ. *l. 14. C. de Judic.* modo sententiam *l. 10. C. de Appellat. l. 4. C. de Auctor. præst. l. 12. & d. l. 14. C. de Judic. c. per tuas X. de appellat.* Olim enim iudices calculis ferebant sententiam, albis scil. absoluebant, & nigris ad mortem condemnabant *l. 1. ff. de Re Jud. Gloss. & Azo. h. in summ. Cod. Rosin. d. l. 4. c. 9. Unde. Ovid. lib. 18. Metam. fab. 1.*

Mos erat antiquis niveis atrisq; lapillis.

His damnare reos, illis absolvere culpa,

modo

modo carbonem *ε. in Scripturis* 8. q. 1. unde versiculus quem ex *Gl. Ber-
tach. in repert. jur.* adducit.

Calculus est ratio, numerus, sententia, carbo.

modo rem nummariam & pecuniariam quæ calculo subicitur *l. 6. § fin.
ff. de his qui not. infam. l. 29. ff. de dolo:* modo denotat rationium seu
rationis disjunctionem & computationem *Germ. eine Rechnung d. l. 5.
§. 15. ff. de donat. inter vir. & uxor. Wesenb. h. n. 1. Ayer. ad b. l. c. 1. n. 16.*
Unde Tusch. concl. Pract. sub lit. C. concl. 3. calculum nihil aliud dicit esse, nisi
videre & calculare data & recepta, posito eo per quod fit, pro eo quod fit
Azo in Summ. Cod. h. n. 1. & ita sumitur causa pro effectu, quod in jure
frequenter accidit *arg. l. 1 ff. de pact. numeratur enim uti olim ita & nunc
calculis, quo tendit Pers. Satyr. 9.*

Hunc Macrine diem numera meliore lapillo.

V.

Posterior hæc significatio est hujus loci, sic dicitur calculo subduci *l. 8.
ff. de pos. calculo subdici l. 11. §. 7. ff. ad l. Falcid. calculi satisfactio l. 19. C.
quor. appell. non recept. C. Theod. error calculi l. 2. §. 1. ff. que sent. sine ap-
pell. l. 8. ff. de adm. rer. ad civitat. pert. d. l. 5. §. si quis 15. ff. de donat. inter
vir. & uxor. Rubr. & l. un. C. h. t. Briff. hac Voce. calculus fiscalis l. 4. C.
quor. appellatio non recip. Unde Calculatores, qui numerandi & computandi
artem intelligunt, Notariis solebant adjungi *l. 4. C. de Profess. & Med. l.
X. l. 7. §. 4. & §. 5. de operis libert. l. 2. §. 6. ff. de Extraord. cogn. l. 5. §. 15. ff.
de Excusat. tut.* Hodie mihi Notarius, qui non simul calculator est, ejus-
dem dignitatis esse videtur ac Doctor sine lege, vel nobilis sine pradio.
Calculatores autem illi Professorum immunitate non donabantur *l. 4.
C. de Prof. & Med. lib. 10. secus ac putat Tholos. Synt. Jur. l. 18. c. 8. n. 2.**

VI.

*Error Calculi est Error in subductis rationibus, sive inchoata tantum
sive perfecta fuerit supputatio, commissus, l. un. C. de Error. calc.* Veteres
enim, quia accurata cistrarum arithmeticarum peritia destituebantur,
calculis in rationibus dispungendis utebantur. Unde error calculi dicen-
dus est, non tantum si calculis, verum etiam si cistris, vel alia ratione sit
commissus *Pac. in Isag. C. h. t.* Subductio autem seu disjunctionio ratio-
num, uti *JCeus Ulpianus, in l. 56. ff. de V. S.* loquitur, non tantum ad unum,
verum etiam ad plures contractus, & tunc non tantum ad omnes causas,

A 2

verum

verum etiam ad quasdam, imò ad unam quoque tantum refertur *l. un. C. h. t. jung. Pac. in Analys. C. h. t. n. 4.*

VII.

Oratio erroris calculi desumitur ex ipsa *leg. un. C. h. t.* ibi, *sive ex uno contractu, sive ex pluribus emerferit*, est enim error calculi respectu objecti vetinius, vel plurium negotiorum, & tunc vel respicit totum negotium, vel ejus partem. Contingere enim potest, ut rationes subducendo, vel in pluribus contractibus erremus, vel in quibusdam, vel in una tantum causa, quo posteriori tamen casu, eatenus transactio ex calculo posito retrahatur, quatenus erratum est. *Pac. in Anal. C. h. t. n. 4. jung.*

VIII.

Et quamvis Error rectè dividatur in errorem juris, quem Philosophi vocant universalem, & facti quem Philosophi specialem dicunt *Hornei. 3. Phil. mor. 4. n. 15.* Error Juris autem in errorem juris naturalis vel positivum, Facti verò vel proprii vel alieni, uterque vel circa personam vel circa rem, & tunc vel ejus substantialia, vel naturalia, vel accidentalia, tamen illas divisiones huc applicare, in præsentiarum haud suppetit.

IX.

Sana autem cum ratione constitutum est, ne error veritati ullum afferat præjudicium, neve veritas rerum erroribus gestarum vitietur *l. 6. ff. ad Municip. c. cum inter X. de re jud. l. 6. S. Veritas ff. de Off. Pres.* quod enim in illis legibus generaliter de errore constitutum est, illud hic specialiter tribuitur errori calculi, cum & regula juris velit, quod plus valeat quod est in veritate, quam quod in opinione *S. n. Inst. de Legat. plusq; quod agitur quam quod simulate concipitur Rubr. & tt. C. plus val. quod ag.* Nec obstat (1) Illud quod semel placuit amplius non posse displicere *c. quod semel 21. de Reg. Jur. in 6.* & quod semel probatum est amplius reprobari non posse *l. 10. ubi Gl. C. de N. G. juncta l. 13. C. de non num. pecun. l. Semel 2. ubi Bart. de Apoch. lib. X.* Hæc enim duntaxat vera sunt in iis, quæ scienter & cognitè rerum ac negotiorum circumstantiis placent, non autem ubi error intervenit, quippe qui omnem consensum excludit, cum errantis nec consensus nec voluntas sit *l. 76. ff. de R. J. l. 15. ff. de Jurisd. l. sed hoc ita 20. ff. de aqua pluvi. arc.* adeoq; nec computatio erronea errantem obligabit *l. 1. ff. de tut. & rat. distr.* Nec (2) obstat

obstat *l. 15. ff. de A. H.* ubi dicitur quod plus sit in opinione quam in veritate; Quoniam ibi non continetur regula, verum regula superius adducta exceptio, ad casum legis restringenda.

X.

Quoniam autem consensus non est unius tantum voluntas, sed duorum plurimumve in idem placitum, eandem causam, vel in idem negotium sensus *c. 1. caus. 29. quest. 2. l. 1. §. 2. ff. de pact. l. 3. de Pollicit.* adeoq; consensui nihil tam contrarium quam error *l. 116. §. 2. de R. J. l. 15. de Jurisd. l. 7. in fin. de Resc. vend. l. 57. de O. & A.* inde contrahentes sæpius in diversas partes discedunt, & tunc non videntur in alterutro horum consentire, quia non in idem, sed in diversa eunt; qui autem errat, non consentit h. e. simul cum aliis sentit, quia consensus non est nisi voluntatis, inde error à contrahentibus frequenter committitur, non quidem semper intentionaliter, quia contrahentes volunt in certum consentire, sed sæpius accidentaliter, quatenus error incertum pro certo ponit *d. c. 1. c. 29.* unde haud rarò errorem calculi illi committunt, qui rationes proprias vel aliorum dispungunt.

XI.

Dispunguntur autem rationes aliquando ab ipsis contrahentibus inter privatos parietes, aliquando autem per modum iudicii contentiosè *Munoz de Escob. de ration. admin. c. 31. n. 1.* & tunc non tantum ipsi contrahentes calculum ponunt, verum etiam alii qui calculatores vocantur, & propriè lapillis & calculis computant, quos vulgo rationarios dicimus, *l. 15. §. 1. ff. de excus. tut. Spig. in lex. Jur. h. v.* & hi, vel à partibus eligi, vel à Magistratibus ceu commissarii constitui solent, ut calculi rationem ineant. Ubi enim calculus requiritur, ibi est confusio, quia omnis calculatio est intricata. Quoniam itaque calculationi periti in arte adhiberi debent, deveniendum est ad electionem calculatorum *Tusch. Pract. concl. lit. C. d. concl. 3. per. l. si cui libertas, & ibi Bart. ff. de cond. & demon.*

XII.

Discordantibus partibus calculatores eligit Judex, & monet partes ad interessendum, uti *Tusch. d. l. concl. 4.* loquitur. Ubi enim creditum non est liquidum, ibi expedit, ut Judex mandet calculationem *arg. l. 15, C. de distr. pign.* quo casu requiritur (1) ut de electione legitime facta constet. *Bart. in l. 2. C. de jur. fisc. lib. X. Paris. consil. 89. n. 4. & 5. lib. 1. Mascard.*

scard. de probat. conclus. 253. n. 6. Corn. Consil. 43. lib. 1. (2) Ut electio facta sit à parte, vel Judice parte presente *Gabriel. Comm. concl. tit. de cit. concl. 1. n. 187. Bursat. cons. 102. n. 19. Natta consil. 40. n. 1.* (3) Ut calculatores, si præcipue voluntate partium non sint assumpti, præstent juramentum, *Hier. de Mont. tr. de fin. Heig. p. 1. q. 20. n. 19. Alex. cons. 64. n. 4. l. 6. c. 32. n. 4.* (4) Ut ad minimum duo sint electi *Bursat. cons. 102. n. 21. lib. 1.* (5) Ut quisque calculator sit legitimè electus & habeat peritiam in arte *Tusch. d. l. n. 5. Bart. in l. 2. C. de jure fise. lib. X. Vant. de nullat. ex def. ord. n. 184.* (6) Ut in calculatione sint conformes *Socin. consil. 54. lib. 1. Felic. de Soc. c. 38.* (7) Ut calculus finaliter decreto judicis confirmetur *Heig. p. 1. q. 20. n. 20. per l. 13. de Re Jud. l. 40. §. 1. ubi. Castel.* Si autem ipsi calculatores non poterint convenire inter se, tertius calculator à judice est constituendus *Munoz Escob. d. tr. c. 32. n. 5. 6.* & tunc illorum calculo standum est, modo fines mandati non sint egressi, quoniam electi à partibus, dicuntur arbitri compromissarii, seu arbitratores. *l. hac edictali §. his illud C. de sec. nupt. electi autem à Judice arbitri juris Tusch. ex Corn. d. concl. 4. n. 14.* qui utriusque mandati fines in disjunctione rationum observare debent.

XIII.

Errorem autem calculi corrigendum is petit, cujus interest, ejusve heredes, nec refert si quis prius allegasset, calculum fuisse positum, dummodo error ejus ab allegante in continente possit probari *Castr. lib. 2. cons. 10.* neque enim ideo quis perdit hoc beneficium, si dixerit calculum esse positum, rationesque disjunctas, quia sufficit quod error sit commissus & quod ab allegante possit probari, *Hect. Felic. de Soc. c. 38. n. 67.* adeoque frustra dubitat *Jason. d. l. n. 3.* nec refert si error sit commissus ab ipsis contractentibus, si à calculatoribus, à partibus per compromissum, vel à Judice per decretum, constitutis, utrinque enim boni viri arbitrio calculus commissus videtur *l. 22. §. 1. de man. testam. l. 41. §. 4. de fideic. lib. de-* bet autem revisio calculi coram illo judice fieri, qui elegit calculatores, vel de cujus mandato partes illos elegerunt *Mascard. de probat. d. l. n. 12. Bart. in l. 2. C. de Jur. fise. lib. X.* Sed quaeritur an error calculi etiam opponi possit per eum qui fuit mendax? Quod affirmat *Myns. dec. 6. Resp. 57. n. ult.* quamvis alias mendax omni privetur commodo *Schleif. ad Wesf. in C. h. n. 3.*

XIV.

XIV.

In objecto erroris ex θ . 2. notandum, quod variè committatur, præcipuè tamen, modo circa personam; modo circa negotium; modo circa rem, seu corpus; *Frantzke de contr. emt. n. 37. c. 1. 29. q. 1.* Error circa rem præprimis hujus est loci, quoniam error calculi, relativè quidem refertur ad quemvis actum vel contractum, ex quo nobis aliquid deberi potest, objectivè tamen in ipsa subductione rationis subsistit, unde dicitur in *L. un. C. b. 1. sive ex uno contractu, sive ex pluribus emerferit.* Ubi notandum, quod vox contractus hic non sumatur uti in *l. 10. de V. S.* nec uti in *l. 19. d. 1.* sed late quatenus denotat quamvis conventionem causam habentem, *l. 7. §. 1. ff. de pact.* nec sumitur hic exclusivè, quasi alios actus & gestus excludat, sed tantum exemplificativè, potest enim error calculi emergere ex variis causarum figuris, ex quibus computanda venit ratio.

XV.

Quemadmodum autem rationari nihil aliud est, quam rationabiliter disputare, ita ratio ulro citroque dandi & accipiendi negotiationem continet *l. 6. §. 3. ff. de Edend. Boer Decis. 395. n. 3.* inde *Socin. conf. 149.* illam veram rationem proficitur, quæ hinc inde debiti & crediti commorationem continet, quæ mediante quid reliquum est, ostenditur, *Molin. consuet. Paris. tit. 1. §. 6. Gl. 6. n. 14.* quare rectè dicuntur rationes dispungi *d. l. 56. de V. S.* quando calculus ponitur & reliquum ostenditur *l. 82. ff. de condit. & demonstr. l. 41. §. 11. ff. de fideicommiss. libert.* Ratio autem omnis incunda est secundum boni viri arbitrium *Menoch. de A. J. Q. c. 209. n. 12. Mascard. de prob. concl. 253. n. 9. Decis. Gen. 163. n. 14.* & secundum consuetudinem loci ubi administratio facta est, Sex autem à Dd. conjunctim requiruntur, ut ratio ritè & cum effectu ineatur (1) Ut libri, cautiones & instrumenta edantur. (2) Calculus ponatur. (3) Reliqua liquidentur. (4) Mora putgetur. (5) Ille præsens sit cujus interest, & (6) coram competenti Judice præsteretur. *Munoz de Escobard. tr. de rat. administr. c. 2. pr.* Verum enimvero rectius hæc arbitrio Judicis committi *Montan. de Jur. tut. c. 38. n. 12.* si tamen nihilominus error sit commissus in calculo, illa ratio potest retractari, & calculus revideri, utur major præsumtio sit pro calculo, quando tam cautè ratio inita est, quam alias.

XVI.

Formam erroris calculi Dd. variè depingunt, non enim tantum error

error calculi committitur, quando in ipsis figuris & speciebus, uti vocantur, arithmetice erratur, puta cum quis dicit bis sedecim facere 36. verum etiam quando omittuntur quæ debebant addi, vel adduntur quæ debebant omitti, quoniam calculus uti §. 4. dictum, hic ipsam rationis computationem denotat: adeoque error calculi committitur, tum in Mathematicis numeris, tum etiam in jure, puta quando quis oneratus est illis parcellis quibus jure onerari non debuit *Munoz de Escob. de ration. adm. n. 6. c. 41.*

XVII.

Potest etiam error calculi committi in sententia, & tunc, si Sejus in actis probaverit, Titium reum sibi 200. debere ex causa mutui, 50 autem ex causa legati, Judex vero si condemnaverit Titium in centum tantum, illa sententia non est ipso jure nulla, sed per appellacionem rescindenda venit, quoniam contra jus partis & non contra jus constitutionis judicatum est, neque etiam in sententia est erratum, sed circa causam in sententia expressam, l. 1. §. 2. quæ sent. sin. appell. resc. dissent. Felic. de Soc. c. 38. n. 77. Bart. in l. 2. C. h. n. 2. & Bald. n. 4. Quando autem error calculi commissus est in ipsa sententia, adeo ut ex ipsa sententia possit cognosci, tunc propter errorem in sententia expressum illa est ipso jure nulla, & hic est casus in d. l. 1. §. 1. & ibi Gothofr. Pac. cent. 7. anti 73.

XVIII.

Error autem tum in calculo, tum in sententia satis probatus dicitur, quando ex novo calculo constat, rem aliter se habere *Paris. cons. 131. n. 28. lib. 1. h. e.* quando probari potest admissa esse quæ non debebant admitti, vel omissa quæ non debebant omitti *Mascard. de prob. concl. 253.* non enim sufficit docere quod in redditis rationibus fuerit erratum, sed de tali errore dilucidè constare debet, quoniam rationes semel calculatæ habent pro se præsumtionem veritatis *Munoz de Escob. d. tr. c. 41. n. 28. l. 7. C. de Jur. & fact. ign.* facile autem error calculi probatur, quando scilicet à peritis arte calculatio denuò subducitur *Dd. in l. un. C. h. & in l. 2. C. de Jur. fisc. lib. X.* nam error exinde probatur, quo per calculatores vel alios viros probatos ostenditur rem aliter se habere *l. 4. C. de Jur. & fact. ign. Paulus Montan. de Jur. tut. c. 38. n. 150,* dummodo petens agat de damno vitando, non autem de lucro captando *Tusch. concl. Pract. sub. lit. E. concl. 314. n. 15. Heig. p. 1. q. 38. n. 37,* nam si lucrum captare vellet non audiretur.

§. IX.

XIX.

Effectus primus est, quod erronea calculi computatio non noceat, sed retractari possit *l. un. C. h. ubi Dd. pariter omnes, junctā l. 5. §. 15. ff. de donat. inter vir. & uxor. l. 21. §. 1. l. 12. ff. de lib. leg.* sive enim quid promissum, sive solutum fuerit, is qui promisit vel solvit per errorem calculi, ex quasi contractu obligatum sibi illum habet, cui solvit vel promisit, *§. 1. J. quib. in re cont. obl. §. 6. de obl. que q. ex contr. nasc.* quæ conclusio ampliatur, ut procedat etiam si ratio sæpius sit reiterata *d. l. un. ibi sæpe computatas, Bart. Bald. Castrens. & alii ibidem, Heñ Felic. c. 38. n. 63. & seqq.* quoniam etiam confessio iterata, remonstrato errore, potest revocari *l. error ff. de jur. & fact. ign. Myns. dec. 6. Resp. 57 n. 15. Menoch. conf. 22. n. 10. Dec. conf. 550. n. 2.* Nec obstat quod alias reiteratio omnem erroris præsumptionem excludat adeoq; actum validet, quoniam plenam deliberationem præsupponit *c. si quis iratus 2 q. 3.* quare etiam mulier ex iterata intercessione post biennium amittit beneficium *SCri Vellejani l. 22. C. ad SCtum Vel.* Et præterea, quod ratio semel reddita ut amplius reddatur non possit peti *l. 2. C. de apoch. publ. lib. X. ne in infinitum revisio procedat Perus. in c. un. de Cler. egrot. & ita rationes immortales fiant, quod est contra arg. l. prosperandum 13. C. de Judic.* Hæc enim tunc procedunt, quando quis sciens prudensve actum perficit, repetitive, & quando ratio sine errore est discussa, non si error intervenerit, quoniam humana fragilitas tanta est, ut etiam deliberando quis errare possit *l. 11. §. ex causa ff. de inter. in jur. fac.* imò in nullo penitus errare divinitatis potius quam mortalitatis est *l. 2. §. 14. C. de V. J. E.* quare reiteratio erronea rationis, quamvis clariorem probationem requirat, quam si semel fuerit calculatum *Tusch. d. l. in fin.* quoniam præsumtio juris est, calculum ritè esse positum *Moman. de Tut. c. 38. n. 164.* tamen non inducit præsumtionem juris & de jure. Adeoq; iteratio illa calculum haud ita confirmat, ut non possit revocari *Bart. Bald. Salic. Jason. Dec. ad d. l. un. Natia l. 3. conf. 489.* Nec obstat quod *Mascard. de probat. concl. 1256. n. 14. ex l. 26. de Prob.* statuit, factis scilicet binis calculationibus, revisionem iterum fieri non debere? Hæc enim sententia ex casu d. l. est decidenda. Multo minus obstat quod *concl. 253. n. 21. ex l. 2. C. de Apoch. publ. lib. X.* in contrarium movet? Quoniam lex illa huc nullatenus quadrat, quare etiam *idem Masc. n. 16.* illud assertum haud verum putat, quando error potest probari: Est enim indubitata juris Regula

B

quod

quod error computationi nunquam noceat, si liquidò constet de errore, & quod computatio semper retractetur probato errore *l. un. C. h. t. l. ff. quis ex argentiarius §. fin. ff. de Edend. Heig. p. 2. q. 20. n. 36. Tusch. d. l.*

XX.

Nec refert etiam si quietatio seu apocha sit secuta *l. 9. C. de jure fisco. lib. X. Borghin. de tut. & curat. n. 203.* quia quietatio eodem errore facta censetur, quo ipsa calculi computatio *Ayrer ad h. l. n. 34. 35. Socin. v. 2. conf. 119 n. 11. adeoq; incogitata & ignorata non comprehendit Clem. causam §. intimato de Elect. l. 29. ff. de inoff. test. l. 36. ff. de pact. Wesenb. l. 2. conf. 74. n. 62. diff. Bart. in l. 2. col. fin. C. de jur. fisco per l. 47. §. 1. ff. de pact. l. 24. C. de Transact. allegat. Ayr. d. l. n. 43. ubi tamen nihil reperit.*

XXI.

Imo revisio calculi allegato errore peti potest, etiam si post calculationem factam, reliquorum facta sit solutio. Quamvis enim facta solutione, obligatio quoad creditorem sit sublata *§. 1. Inst. quib. mod. toll. obl.* attamen quia indebitum solutum est per errorem, condictio *ex d. l. un. competit Rimin. lib. 5. conf. 484. n. 52. Cephal. l. 4. conf. 562. n. 15.* adeoq; ex quasi contractu nova nascitur obligatio.

XXII.

Error autem calculi non solum in primâ, verum etiam in secundâ instantiâ seu in judicio appellationis potest allegari *Heft. Felic. de Societ. c. 38. n. 66. Jason. in d. l. un. n. 2. Myns. Respons. jur. dec. 6. respons. 57. n. 10.* siue allegatus sit in prima instantia, siue non, *Myns. Resp. decad. 6. Resp. 57. n. 10. Jason. d. l. n. 4. Tusch. concl. 314. sub lit. E. n. 7.* quia in secunda instantia non deducta possunt deduci, & non probata probari *l. per hanc 4. C. de temp. appell.* Appellatio enim causam in pristinum statum reponit, in quo fuit ante sententiam *l. qui cum major 14. §. accusasse 8. ff. de bon. liberr.* adeoq; ejus peculiare solet esse beneficium, ut ea quæ in prima instantia prætermissa, vel non satis discussa fuerunt, proferantur & discutiantur *d. l. per hanc* quam legem tanquam liliam inter spinas redolere ex Cyn. probat *Pistor. l. 4. q. 23. n. 1.* & approbata est in *c. fraternitatis 18. X. de Testib. c. cum Joannes X. de fide instrum.*

XXIII.

Quando autem in diversis contractibus rationes initæ sunt, error in una causa interveniens, non efficit, ut retractentur rationes ad alias causas per-

fas pertinentes, dummodo sint dividuæ, sed illæ rationes tantum retractantur, in quibus erratum est, adeoq; calculus specialis non operatur ultra speciem Bald. l. 4. cons. 47. Tusch. d. l. concl. 6. quod idem obtinet si ex falsis instrumentis transactio veniat rescindenda, eatenus enim tantum rescinditur, quatenus ex falsis instrumentis est transactum l. pen. C. de transact. junge ib. 44.

XXIV.

Effectus secundus est I. Condictio liberationis, tanquam sine causa, si quid indebitum sit promissum l. un. h. ibi promisisti l. 3. ff. de condict. sine causa. cujus causa debitor reliquator videtur ex rationibus per errorem subductis Pac. in Anal. C. h. n. 6. uti enim, si ex errore calculi aliquid solutum fuerit, datur condictio indebiti, ita si quid promissum datur condictio liberationis, quoniam promissio & solutio à pari procedunt l. fin. C. ad l. Falcid. l. idem est ff. de constit. pec. & melius est non solvere quam solutum repetere. Hæ autem conditiones non forma interna, sed effectu tantum differunt, quoniam omnium conditionum, respectu formæ, una eademq; est natura, nisi quod condictio furtiva aliquid speciale habeat, quatenus datur domino contra non dominum.

XXV.

Ut autem condictio liberationis vel indebiti obtineat, duo conjunctim requiruntur. 1. Ut indebitum sit promissum vel solutum. 2. Ut solutum sit per errorem, quoniam scienter dati nulla est repetitio l. 53. ff. de R. J. Jason. in l. 26. §. 13. ff. de condict. indeb. Indebitum autem vel est jure naturæ tantum, vel jure civili tantum, vel utroque jure, quo posteriori modo indistinctè condictio locum habet Ayrcr. n. 160. Zas. in rub. ff. de cond. indeb. Frantz. ibid. n. 12. Errore etiam solutum dicimus, non tantum si in facto verum etiam si in jure sit erratum, modo non subsit naturalis obligatio arg. l. 9. C. ad l. Falcid. illa enim non permittit uti solutum tanquam indebitum repetatur.

XXVI.

Datur autem indebiti condictio, non tantum ad repetendum id quod indebitè solutum est, verum etiam ad accessiones Ayrcr. h. n. 139. quamvis usuras haud exigere possit is, qui indebitum per errorem solutum, condicit l. 2. C. de cond. indeb. nec omne indebitum per errorem solutum potest condici, cessat enim condictio in illis causis, in quibus per inficiationem lis crescit. l. ea quæ C. de cond. indeb. Ayrcr n. 192.

XXVII.

Datur etiam condictio ex Lege, & quidem ex *l. un. C. h. r.* Est autem condictio ex lege, quando nova aliqua lege obligatio fortè introducta est, nec eadem, quo genere actionis experiendum sit, cautum; cujus actionis exempla in jure variis in locis occurrunt, ut in *l. 30. C. de inoff. test. l. 35. §. 1. C. de donat. l. 21. C. de SS. Eccl. l. ult. §. fin autem C. de pet. hered.* Et quamvis in hac l. mentio fiat conditionis liberationis, attamen nec hæc, nec condictio indebiti, ad omnem legis casum quadrat, ubi itaque occasione hujus legis non competit condictio indebiti, nec condictio liberationis, & tamen obligatio subest, dabitur condictio ex lege.

XXVIII.

Non tantum autem per modum actionis, verum etiam per officium Judicis (quod secundum leges perperam in Nobile & Mercenarium dispescitur) error potest retractari, *Paris. consil. 89. n. 27 Mast. concl. 253. n. 7. & 13.* quam sententiam confirmare videtur *l. Si post C. de J. & f. ign. Plot. de inlitem jur. n. 527. Surd. decis. 239. n. 1. 2. Gutierrez de Jur. conf. c. 7. p. 3. n. 1. Munoz de Escob. c. 41. n. 7.*

XXIX.

Datur etiam interdum reductio ad arbitrium boni viri, quando scilicet ad rationum discussionem & calculi positionem, ex libero consensu liquidantium certi arbitratore vel calculatores sunt electi, pro controversia partium terminanda. Quoniam autem partes, quamvis certas personas expriment, non simpliciter in eas ut tales, sed ut viros bonos secundum æquitatem arbitratos consentiunt. *l. 76. ff. pro Soc. l. 3. de oper. libert.* ideo, si postea iniquitas aliqua & læsio emergerit, reductio ad arbitrium boni viri, uti *Dd.* loquuntur, conceditur, h. e. judex ordinarius ad eundem est, ut laudum illud iniquè dictum, seu calculum erroneè positum, ad boni viri arbitrium reducat, & ita iudicio dirimat *Gail. 1. obs. 151. n. 1. Coras ad d. l. 76. pro Soc. n. 13.*

XXX.

Si error calculi in sententia fuerit expressè commissus, competit illi, qui per talem sententiam læsus est, querela nullitatis. Quoties enim sententia est ipso jure nulla, h. e. si Judex nulliter processerit, toties neglecto remedio appellationis, actio nullitatis datur, adeo quæ ab ipso ordinario iudice qui nulliter processit, etiam peti potest, ut suo officio, illa sententia
nulla

nulla declaretur C. J. A. de re jud. n. 108. Wesenb. in *pr.* de re jud. n. 10. & ibi
Bach. cui actioni de jure civili 30. annis demum præscribitur C. J. A. d. l.
n. 109. Hahn. ad Wesf. d. l. n. 10. ut ut jure statuario, illud tempus passim
sit coarctatum. Carpz. in Process. jur. tit. 19. §. 3.

XXXI.

Contraria (1) sunt Præscriptio triginta annorum Tholos. Syn. Jur. l. 28. c. 2.
n. 29. Gl. in l. calculi §. ff. de adm. rer. ad Civit. pert. Myns. Resp. jur. decad. 6.
Resp. 57. n. 10. Wesf. in C. h. n. 8. Heig. p. 1. q. 20. n. 35. Conan. l. 3. c. 11. n. 5.
non per illas rationes quas habet Ayer d. l. n. 45. & seq. quasi nulla hic sub-
sit negligentia; sed quia remedium quo error calculi corrigitur, est civile &
personale, cui per vulgata longissimo demum tempore præscribitur
pr. Inst. de perp. & temp. act. diff. Cujac. motus auctoritate Pauli l. 5. sent. tit. 5.
§. ult. qui longo tempore retractationi rationum præscribi, contra expres-
sum textum d. l. 3. statuit.

XXXII.

Si tamen gratiosæ expunctæ dicantur rationes, tanto temporis cur-
riculo non retractantur Modest. in l. 3. ff. de adm. rer. ad Civ. pert. l. 13. §. 1.
de divers. temp. præscr. sed adversus eum cujus interest 20. annis, & adver-
sus heredem ejus 10. annis sunt revidendæ d. l. 13. §. 1. Tholos. l. 29. c. 4. n. 2.
& l. 28. c. 2. n. 29. quæ lex, quamvis de rationibus Reipublicæ agat, tamen
multo magis ad rationes privatorum recipit interpretationem. Deinde
non est perpetuum, quod calculi revisio usque ad 30. annos regulariter
peti possit: Nam si facta calculatione inter partes convenerit, ut intra
mensem duntaxat possit revideri ratio, mense transacto, non amplius con-
ceditur revisio Thessaur. Decis. 260.

XXXIII.

Næque (2) etiam calculi retractatio admittitur, si error duntaxat sit
in calculo temporis, hic enim non vitiat computationem l. fin. §. & cum
antea C. de temp. appell. quoniam quo tempore positus sit calculus, non in-
terest, modo sit rite positus Montan. de Tut. c. 38. n. 169. cum & alias error
qualitatis actum haud vitiet c. 1. 29. q. 1.

XXXIV.

(3) Si res judicata sit, h. e. per sententiam decisa d. l. un. C. h. r. ita ut nul-
lum remedium suspensivum contra eam amplius obtineat. Quando enim
sententia super errore calculi lata est, in rem judicatam transit, de errore

commisso, nulla amplius admittitur quæstio, quoniam talis sententia facit ex albo nigrum & ex nigro album *Mascard de prob. vol. 3. concl. 1296 n. 16.* verumque in falsum commutat, & falsum in verum, adeoque pro veritate est *l. 1. ff. de re jud. c. cum inter X. eod. Ayer d. l. n. 57.*

XXXV.

4. Si super errore calculi de quo fuit controversia, sit transactum *d. l. un. l. 47. §. 1. ff. de pact.* hoc enim casu partes sub prætextu erroris, contra transactionem venire nequeunt *Franc. in c. un. de Cler. agr. in 6.* quoniam transactio vim rei judicatae habet *l. 20. C. de Transact.* & transactione interveniente lis terminatur *l. 51. C. de Episcop. & Cler.* Notandum tamen quod aliud sit transigere per errorem, & aliud de errore, nam transactio de errore calculi firma est, per errorem autem non valet, sed revisionem erroris calculi admittit *Pac. in Anal. C. h. n. 9. vide Hecht. Felicium de Societ. d. l. n. 78.* ubi quatuor casus distinguit. Si tamen transactio aperte iniqua & dolo malo extorta sit, revisionem valere statuit *Bertach. in rept. §. calculatio rationum.*

XXXVI.

5. Si Juramentum intervenerit cum fieret computatio de non contraveniendo *Mench. de A. J. Q. cas. 207. n. 36. Seraph. de Privil. Juram. priv. 90.* tunc enim propter errorem in calculo commissum, non datur regressus, quoniam non amplius quæritur de errore, sed an super errore juratum sit *arg. §. 9. Inst. de act.* & juramentum est optimum litium finiendarum remedium *l. 1. ff. de ff. ad Hebr. 6. v. 16.* quatenus enim est citra præjudicium tertii, & dispendium æternæ salutis potest servari, tunc est servandum *c. si concingat X. de ff. c. Quamvis de pactis in 6. Mont. de Tut. c. 38. n. 160.* requiritur tamen ut de errore cogitatum sit, cum juramentum interponeretur, quoniam juramentum ultra jurantis intentionem & ad non cogitata haud extenditur, & ita intellige *Wesemb. n. 8. C. h. junge Ayer ad h. l. n. 90.* debet enim omne juramentum tres habere comites, justitiam scilicet judicium & veritatem *c. quanto de ff. c. animadvertendum 1. q. 2.* Uti itaque promissio errore facta non valet, ita juramentum ut invalidum ex propria ejus autoritate operari non potest *Paris. l. 1. cons. 89. n. 39.*

XXXVII.

6. Si computatio in judicio facta sit, quoniam præsentia judicis præsupponit accuratam causæ cognitionem, & facit cessare dolum, *Castr. h. n. 2.*

b. n. 2. in fin. per l. 1. C. de confess. & l. un. C. de omni agro desert. lib. 11. Ayres d. l. n. 96. Montan. de Tut. c. 38. n. 167, quam sententiam tamen vix universalem puto, quoniam in iudicio æquæ ac extra iudicium potest error committi, & proinde si de eo constiterit, veritati non debet præjudicare, per ea quæ §. 8. adducta sunt, & cum talis exceptio ex ratione & mente legis colligi nequeat, non temerè eam statuendam puto.

XXXVIII.

Si 7. Error sit modicus *l. 32. ff. de cond. & demonstr. Jason. in l. un. C. h. t. n. 2. addit, Bart. in l. 2. C. de jur. fin. lib. 10. Myns. dec. 6. Resp. 57. n. 11. quoniam modicum & nullum æquiparantur c. licet causam X. de probat. nec modicum prætor curat l. 4. ff. de restit. in integr. Jason. b. n. 4. Quæ tamen causa modica sit, arbitrio iudicis pro personarum qualitate dijudicandum relinquitur. Ayres d. l. n. 102. Nec refert, si error parvulus in rationibus factus, per iudicem in sententia fuerit approbatus Munoz de Escob. d. 17. c. 41. n. 10 & seqq. Plures modos revisionem calculi impediētes recenset Mont. de Tut. n. 155. & seqq. quos inter, est.*

XXXIX.

Si (8) errori calculi sit renunciatum *l. 12. ff. de lib. leg. adeo quæ calculoposito pactum additum vel stipulatio de ulterius non petendo vel calculando l. 47. §. 1. ff. de pact. l. 24. C. de transact. Mascard. de probat. d. concl. 253. n. 10. & concl. 1256. per tot. Montan. de Tutel. c. 38. n. 156. Menoch. de A. J. Q. c. 209. n. 37. Bart. in l. 2. C. de jur. fisci lib. 10. Felic. de Societ. l. 38. n. 76. & 79. uti enim quilibet juri suo potest renunciare l. 29. C. de pact. ita ad renunciata non datur regressus l. 17. §. 1. de A. H. l. 14. §. 9. ff. de Edil. Edict. satis enim absurdum videretur, redire ad hoc, cui quis renunciavit, & quod sponte sua remisit l. 11. C. de R. C. cum etiam re sua quis possit abuti l. sed etsi §. consultuit ff. de per. hered. Distingvendum tamen inter pactum additum super calculo, & super errore calculi Felic. d. l. n. 79. Rim. l. 4. cons. 71. n. 5. nec etiam pactum vel stipulatio de non contraveniendo quicquam operatur, quando fraudulenta & fallax est, hoc enim casu calculus retractari potest, nam eodem errore quo facta est calculatio, facta etiam est stipulatio & pactum Mascard. d. l. n. 17. 18.*

XL.

Nec (9) admittitur revisio calculi, si scripturæ seu documenta super quibus positus fuit calculus, ab eo subtractæ fuerint, qui iterum revisionem petit,

petit, quoniam præsumitur quod ad suam utilitatem scripturas accommodaverit *Menoch l. 10. cons. 988. n. 7.* si tamen debitor rationes à se confectas creditori transmiserit, isq; eas apud se aliquandiu retinuerit, non ideo eas approbasse censetur, sed nihilominus ad calculi revisionem procedere potest *l. Publica §. fin. ff. de pos. Heig. p. 1. q. 20. n. 40.*

XL I.

(10) Contrariatur etiam revisioni calculi, si quis ante sententiam renunciaverit appellationi, quoniam censetur sententiam expressè approbasse, quare non potest contravenire, etiamsi sententia non esset valida, quia consensu partium fuit validata, quod multo magis asserendum, quando renuncians juravit de non veniendo contra, quia tunc iuramentum & res iudicata concurrunt *Tusch. sub lit. E. concl. 314. n. 33. 34.*

XL II.

Affine errori calculi est, (1) si dolo reddita sit ratio, illo enim facto habetur pro non reddita, & de novo reddi debet *arg. l. quoties ff. qui satisd. cog. modo de dolo constituterit, hoc enim casu nec liberatio valet, ut ut fuerit jurata Gloss. in l. 3. §. 1. ff. de contr. tut. ad.* interim intra biennium tantum de dolo agere licet *l. 4. C. de Transact.* quamvis excipi perpetuo possit *l. pure. §. ult. ff. de doli except.* Vide *Mont. de tut. d. l. n. 133. & seqq.*

XL III.

(2) Idem iudicium erit, si ex falsis instrumentis fuerit ratio inita, est enim saluberrima constitutio Imperatorum in *l. pen. C. de Transact.* quæ vult, quod pacta & transacta ex falsis instrumentis inita, falso revelato, pro illa parte sint retractanda, quæ ex falso convicta fuerit, neque enim utile per inutile debet vitari *Gothofr. ad d. l. pen.* Aliud autem est transigere de falso instrumento, aliud autem de falso *l. 18. C. d. s. Junge. Cujac l. 12. Obs. 35.*

XL IV.

(3) Error Advocati etiam haud nocet parti: si enim Advocatus in jure erraverit, iudex illum potest, & debet, nisi cauteriatam velit habere conscientiam, supplere & proferre *l. un. C. ut quæ des. advoc. ubi Dd.* Si autem erratum sit in facto, iudex illum supplere nequit, nisi quatenus ex actis patet. *l. 18. ff. com. div. l. 25. §. 8. ff. de Edil. Edict.* Clienstamen quemcunque errorem in continenti h. e. intra triduum revocare & corrigere potest *l. unic. C. de Err. advoc. ubi Dd.*

Plura addere Ampliiff. Facultatis Statutum prohibet.

DEO SIT GLORIA.

*h. n. 2. in fin. per l. 1. C. de confess. & l. un C. de om
d. l. n. 96. Montan. de Tut. c. 38. n. 167, quam lente
salem puto, quoniam in iudicio æq; ac extra iud
mitti, & proinde si de eo constiterit, veritati non
ea quæ §. 8. adducta sunt, & cum talis exceptio
colligi nequeat, non temerè eam statuendam pu*

XXXVIII.

*Si 7. Error sit modicus l. 32. ff. de cond. &
C. h. t. n. 2. addit, Bart. in l. 2. C. de iur. fin. lib. 10.
quoniam modicum & nullum æquiparantur c. l.
nec modicum prætor curat l. 4. ff. de restit.
Quæ tamen causa modica sit, arbitrio iudicis
dijudicandum relinquitur. Ayres d. l. n. 102. Nec refe
tionibus factus, per iudicem in sententia fuerit ap
d. tr. c. 41. n. 10 & seqq. Plures modos revisionem
censet Mont. de Tut. n. 155. & seqq. quos inter, est.*

XXXIX.

*Si (8) errori calculi sit renunciatum l. 12. ff. de
ficto pactum additum vel stipulatio de ulterius no
l. 47. §. 1. ff. de pacti. l. 24. C. de transact. Mascard. de
& concl. 1256. per tot. Montan. de Tutel. c. 38. n. 150
n. 37. Bart. in l. 2. C. de iur. fisci lib. 10. Felic. de Soci
enim quilibet iuri suo potest renunciare l. 29. C.
non datur regressus l. 17. §. 1. de A. H. l. 14. §. 9. ff.
absurdum videretur, redire ad hoc, cui quis renun
remisit l. 11. C. de R. C. cum etiam re sua quis poss
luit ff. de pet. hered. Distingvendum tamen int
calculo, & super errore calculi Felic. d. l. n. 79. R
etiam pactum vel stipulatio de non contravenie
quando fraudulenta & fallax est, hoc enim casu
nam eodem errore quo facta est calculatio, facta
ctum Mascard. d. l. n. 17. 18.*

XL.

*Nec (9) admittitur revisio calculi, si scripturæ
bus positus fuit calculus, ab eo subtractæ fuerint*

*7. ii. Ayres
ix univer
ror com
care, per
ente legis*

*in l. un.
ff. 57. n. ii.
de probat.
n. h. n. 4.
qualitate
ulus in ra
z de Escob.
lentes re-*

*calculo po
calculando
l. 253. n. 10.
7. Q. c. 209.
& 79. uti
renunciata
satis enim
sponte sua
si §. consu
tum super
n. 5. nec
operatur,
ari potest,
latio & pa*

*super qui
revisionem
petit,*

